





Don. An. 264, 27.

Memoriae

Z d  
2376

V. CLARISS. PIETA-  
TE SINGVLARI, INGENIO ADMI-  
rabili, doctrina erudita, moribusq; suavis. praediti, Dn. Cas-  
paris philosoph. & medic. Doctoris celeberr. V. eximij & sin-  
gularis exempli D. Casparis F. Peuceri, magni  
illius Melanchthonis N. Medici Physici  
reipub. Budifs.

QVEM IN PIA ET ARDENTI INVOCA-  
tione Filij Dei placidiss. sopitum, ex oculis, non animis homi-  
num, mors eripuit immatura anno aetatis suae XXXV.  
orb. reparati M. D. XIII. A. D. III.  
Id. Sextileis,

MONVMENTA CVM SVAE ERGA B. M.  
pietatis, tum erga Patr. moerentem praclarae affectionis testi-  
ficandae gratia posita, nuncupatione epicediorum &  
carminum epitaphiorum,



S E R V E S T A E  
Excudebat Bonaventura Faber,  
Anno cl. Is. X IIC.

D. Donori Inyconsultho Buge  
in...



V. CLARISS. PIETA.

TE SINGULARI INGENIO ADMI.

...

...

...

...

...

...


...

...

...

...

...



...

...

Dr. Johann Friedrich ...

PHILOPHILIPPI  
VERANTII VICENTINI EDYL-  
lium: Peuce.

**M**onte sub Albano, silvarum gloria Peuce,  
Piniferos inter visu pulcerrima colles,  
Constiterat primum, non funebris ista,  
piciq;

Peruia, & expandens inimicam frugibus umbram,  
Aut etiam facibus dans pabula seua praustis:

Sed nigra illius gleba caelestis alumna, &  
Filia silvarum Libani, soror inclyta Cedri,  
Et picis Illyricae resinaq; inamabilis expers,  
Gemmaethura ferens potius, viridiq; corolla

Dulcis Alethea (premitur qua nescia mergi)  
Conspicua, & gratas homini atq; volucris umbras  
(In primis Philomela tuis dulcissima pullis)  
Proijciens, multosq; tegens, & noxia nulli.

Non tulit hoc Furijs soror addita quartamalignis  
Bascanie, infernali animum perfusa veneno, &  
Floris Alethea, Peuces cum flore renati,

Impatiens, nemoriq; isti lethalia flamma  
Semina suggestit, Caurosq; immisit & Austros,  
Flabraq; velocis Boreae, qui flatibus illa

Continuis sic auferent, nemus omne tremendis

A 3

Vt,

Ut, velut ambustum flammis, ramosq<sub>3</sub>, comasq<sub>3</sub>  
 Perderet, amissumq<sub>3</sub> sibi decus omne putaret.  
 Juniperi interea & taxi sua regna tenebant,  
 Atq<sub>3</sub> acer, & corni, & mori, & terebinthus, & una  
 Nocte satus, nactusq<sub>3</sub> simul diadema a fungus.  
 Quid tibi pinaestros memorem, durosq<sub>3</sub> oleastros?  
 Quid baccas ebuli? quid spinas oxyacantha?  
 Quid delatoris mendacis sorta myricas?  
 Sub quibus & rana, & talpa, turpesq<sub>3</sub> colubri  
 Incoluere suas latebras: hortosq<sub>3</sub> triumphis  
 Impleuere suis cuculi, Bubo, Anser, edaxq<sub>3</sub>  
 Sturnus, onocrotalusq<sub>3</sub>, & seruo Psittacus ore,  
 Accipitresq<sub>3</sub> adeo, & fulica, piciaq<sub>3</sub> loquaces.  
 Ensibus armato hi strepitu rata carmina Cycni,  
 Et cantus, Philomela, tuos abolere, piamq<sub>3</sub>  
 Ex oculis, hominumq<sub>3</sub> animis eradere Peucen  
 Mirificis studuere modis atq<sub>3</sub> artibus: at tu,  
 Quisquis es, haud longum latere victor inulta,  
 Perdere quam sat agis, Peuce. quid te quoq<sub>3</sub> fata  
 Si paria aut grauiora manent? certe omnia cernit  
 Iustitiae diuinae oculus; cuncta auribus haurit:  
 Supremasq<sub>3</sub> tenet rerum mundi auctor habenas:  
 Irrita nec patitur semper vota esse piorum,  
 Cum lacrymis effusa pijs, sanctisq<sub>3</sub> querelis.

Abreptam

EPICEDIA.

Abreptam sanè tam diro turbine Peuces  
 Planta omnes fleuere bona, dumq; abfuit, ipsam  
 Et cedri, & fontes, & passim arbusta vocarunt:  
 Nec quisquam saturas ad flumina uia bidentes  
 Interea eduxit: nec amati graminis herbas  
 Libarunt pecudes: latuit sacer anguis in illis.  
 Quin Peuces pingues etiam ingemuisse iuuenos,  
 Et Ceruos, Vrsosq; feros silua ipsa fatetur.  
 Verum ubi iam Peuces adamantina ubiq; putabant  
 Vincula; cumq; illam putrem exanimemue rigere,  
 Neglectamq; Deo pedetentim ad tartara mergi  
 Spes foret una malis, certa & persuasio truncis;  
 Alitibusq; malis, errorum & noctis alumnis:  
 En DEVS in cunctis mirabilis undiq; rebus,  
 Consilijsq; suis, oculis mox rursus amicis  
 Respexit cladem hanc, lethaeaq; vincula Peuces  
 Rupit, & imbutam caelestibus incrementis  
 Restituit, fultamq; nouaradice, nouisq;  
 Viribus, & specie cunctis visentibus ipsam  
 Miraclum effecit nostri memorabile secli.  
 Quo facto horrescunt, nolint licet usq; videri,  
 Iuniperi, & tristes agitato vertice taxi:  
 Paulatimq; suas in mutua murmura vires  
 Impendunt, Boreas tanquam, aut violentior Auster

EPICEDIA,

Mitia decuteret frondosa ex arbore poma.  
 Usq; adeo immanes furor insaturabilis urget?  
 Quem neq; supplicium, nec tempus mitigat ullum,  
 Sed fœtens letatur epops, quin graculus acer,  
 Lucifugaq; simul trepidant mussantq; volucres,  
 Succensentq; DEO, quem iam pridem quasi diro  
 Spermologo obstrictum, & iussis parere coactum,  
 (Quando aliter iam non posset, nec deniq; vellet)  
 Spermologi ex libitu facturum cuncta putabant.  
 Sed frustra, quod iam euentus re comprobat ipsa,  
 Scilicet hinc illa lacrima, occultiq; dolores:  
 Dum casta modulantur aues nova carmina circum,  
 Sublimemq; pijs concentibus aethera mulcent.

O utinam tantum, tam pulcro & suppare ramo,  
 Post succum viresq; tuas paulò ante receptas,  
 Tam subito haud spoliata fores, ò inclyta Peuce.  
 Interitu cuius minus & tibi firma videris,  
 Et formosa minus, minus & diuturna: sed olim  
 Robore quæ miro longè maiora tulisti,  
 Hoc etiam perferre lubens constansq; memento,  
 Amissum nec crede illum: quando altera nobis  
 Sunt nemora & silva, sunt nobiliora vireta,  
 Florum ubi nobilium Zephyris melioribus halant  
 Germina, & aeternis decorantur frondibus horti.

Hic



EPICEDIA,

Hic opus inuicto quasi sidera scandere nisis.  
 Quo tuus ille, DEO duce, te praecepsit, idemq;  
 Optatum magis & planum tibi reddidit, ad te  
 Non rediturus, iter; sed tu penetrabis ad illum,  
 Frondator quando ille uolet, parere uolenti  
 Cui decet, & iustum est, nec inuile, nec graue cuiqua,  
 Non ignota noua cui sint noua gaudia uita.  
 Verum heus tu o mala progenies, o dira propago  
 Arborei generis, nostram cui ledere Peucen  
 Tam uolupte optatumq; fuit, mea dicta minasq;  
 Conde animo memor, & quoties licet, illa reuolue.  
 Si ligno in uiridi hac fiunt; quid deniq; fiet  
 Aride rhamnne tibi, dudumq; ad pabula natis  
 Flammaram tedis? certo iam certius ingens  
 Te quoq; poena manet, qua nec procul est, mihi crede,  
 Cum nunc incipiat serpens hinc inde: nec ipsa  
 Parcere uobismet, rabies tam insana, queatis.  
 Juniperus taxum dum uerberat: oxyacantha  
 Pungitur, & pungit: fera tum conuicia fungo  
 Fundit acer, cornusq; ferox dat uulnera moro.  
 Stare diu qui tam discors concordia possit?  
 Et quamuis tribuli & spina uos agmine magno  
 Circumstent, septoq; adeo uos undiq; cingant  
 Horrenti & denso, nemo quod ledere, nemo

Tangere

EPICEDIA.

Tangere quin etiam, damno sine, posse putetur.  
 Attamen id tenui, quod texit aranea, telo  
 Non erit inuictum mage, flammula quando vel una  
 Numinis irati spinas mittetur in istas.  
 Tot cuius iam scintillas lugubre rubentes  
 Aspicias, quocunq; oculos aut lumina vertas,  
 Ille autem immissus diuersis partibus ignis  
 Arentem in spinum, paulatim ad proxima serpet,  
 Altius insurgens, & mole voracior ipsa  
 Redditus, hinc Aquilone, illinc grassantibus Austris,  
 Cum fremitu horrendo, impatiens vincine domariue  
 Inuadet totam, & rabies Vulcania, siluam,  
 Flammarumq; globis volitantibus astra laceffet,  
 Post se & nil prunas preter cineresq; relinquet:  
 Quos saxi aspiciens alto de vertice Pastor  
 Attonitus, pallensq; metu, trepidusq; futuri,  
 Sic secum; o iusti vindictam, iramq; Iehoue  
 Insignem, dignamq; alta quam mente reponas?  
 Sic pereant nemora & silue, que vertice cælum  
 Tangere, natura contra ius fasq; laborant:  
 Quæq; adeo exitium castarum urgere sororum  
 Non cessant, turbisq; nouas attexere turbas.  
 At vigeant sine fine oleæ, lauriq; cedriq;  
 Innocuæq; alia silue frondentis alumna.

In primis

EPICEDIA.

In primis verò, hanc rediuiuam è funere Peuceen  
 Seruate, ò superi, illius quandoq; sub umbra  
 Pullicies ut Luscinia cycniq; canori,  
 Non tam nauorum, quàm virtutum emula matris,  
 Hic rursum canat, amotis bubonibus istis,  
 Et cuculis, quorum nil planè obscenius vsquam  
 Coccysmis est, & diri stridoribus oris.

Παραμυθητικὸν in obitum nepotis & neptis  
 Melanchthoniorum,

**N**signis pietate Viri, meritisq; Philippi,  
 Nullum cui norant secula nostra parem:  
 Longa decem postquam fastidia carceris annos,  
 Hoc socero dignus, pertulit ille gener:  
 Eheu quàm saeuum, vix luci redditus, orbis  
 Natorum gemino funere, vulnus habet.  
 Filia casta, Patri quæ carior esset ocello:  
 Deinde seni baculus, filius, eripitur.  
 Quàm grauis iste dolor, nullis oratio verbis  
 Exprimet; haud vlla pinxerit arte manus.  
 Dulcibus usq; adeò semper miscentur amara:  
 Temperat & miscet sors sua cuiq; vices.

B

Ignicu-

EPICEDIA.

Igniculos Deus ipse animis impressit amoris,  
 Qui tamen ingenti corda dolore premit.  
 Dat sobolem genitori; Et quam dedit, eripit idem:  
 Latitia grauius vulnus, amore dolor.  
 Sed cur tam saeuo fatorum vulnerat ictu,  
 Quos melius nulla prole beasse fuit?  
 Anne pater rerum, nutu qui cuncta gubernat,  
 Inuidet exigua commoditate frui?  
 Scilicet haec caeca sunt enthyrnemata carnis;  
 Haec animos turbant sensa dolore graues.  
 Quin grauiora solet sibi tela doloris amaror  
 Texere, quae ratio lumine cassa coquit.  
 Luctus in aduersis, pacatis gaudia rebus,  
 Inuadunt animos, nescia ferre modum.  
 At tu mæste Pater, magno qui robore cordis  
 Durius assuesti vincere morte malum:  
 (Carcer enim morte asperior) quibus ista retundas  
 Tela modis, nullo subijciente tenes.  
 Accidit haud casu, quicquid mortalia rodit  
 Pectora: res nostræ stantq; caduntq; Deo.  
 Quæ Deus imponit, patienter ferre iubemur:  
 Eximium decus est ferre, quod ipse iubet.  
 Presidijs vitæ cunctis exutus HIOBVS,  
 Fixam habet in Domino spemq; fidemq; suam.  
 Quæ

EPICEDIA.

Qua dederas, aufers, inquit: stat sancta voluntas;

Es pater, & patrio pignora more regis.

Non semper natis facies est blanda parentum:

Blanda tamen semper mens & amica manet.

Dulcia sunt mœstis solatia conscia recti.

Consilia, & dubio libera corda metum.

Ipse etiam meritis grauiorem mitigat iram:

Vincit inexhausto gratia fonte malum.

Luçtanti præstò est fidei, nec prælia cessat

Sancta iuuare; pios deseruisse nequit.

Spem ciet afflictis, spes non confundit inermes:

Suffulti eijciunt speq; fideq; metum.

Detrectare nefas communem, aut poscere sortem,

Qua non sit fratrum congrua, parq; gregi.

Quàm longè lateq; potes, circumfer ocellos:

En patimur manes, aspice, quisq; suos.

Sæpe quis ærumnas minus æqua in lance reponens,

Aetna se grauius pondus obire putat:

Si reliqua in cumulo congesta pericula cernat,

Percupidè ignoto notius anteferat.

Nil malè (crede mihi) Christum succedet amanti:

Flumina si fuerint turbida, portus adest.

Sic minimè amissi sunt, quos præmisimus: Orbem

Noxa premit: parcit prouida cura suis.

B

2

Premissi

EPICEDIA.

Premissi in calis Christo, velut agmine facto,  
 Jam pæana canunt, agglomerantq; choros.  
 Hæc est vera quies, hæc ultima meta laborum:  
 Tendunt huc, quotquot te pie Christe colunt.  
 Hæc vita patria est, patriã hanc properamus ad unã:  
 Hanc, quos deflemus, voce docebat avus.  
 Quos simul ardenti complexus amore fouebat  
 In gremio; hos agni iam fouet ante thronum.  
 Salve aue, præsentem tecum tua pignora adorant,  
 Quem coluere, λόγον, neptis & ille nepos:  
 Ingenio par patri & auo, pietate, fideq;  
 Annis sed vitæ vixit utroq; minor.  
 Fide DEI præco, sancte & diuine Melanthon:  
 Assertor veri, magne Prophetæ Dei:  
 Depulsis Erebi, te præceptore, tenebris,  
 Hanc vitæ ingredimur turba pusilla viam.  
 Hæc generum, hæc tibi nos iunget, turbamq; nepotum:  
 Hæc ad cœlestes ianua sola patet.  
 Hanc gener ille tuus constanti voce professus,  
 Suetæ quidem, sed non præmia digna tulit.  
 Carceris è tenebris quem post duo lustra reduxti,  
 Laudibus ò serua Christe, foueq; tuis.  
 Semita, vita, salus, via, callis, ianua cœli es:  
 Solus ad æthereas portaq; Christe domos.

V Wolfgangus Amlingus.

NENIA SIVE THRENODIA.

**S**ic ergò nos ad lacrymas iterum aspera fati  
 Jura vocant, fati, Caspar amice, tui?  
 Siccine, quòd nulli mors sit medicabilis herbis,  
 Nec medica curet fortior artis opem,  
 Tu quoq, tu leto nimium properante fateris,  
 Ille Machaonij gloria prima chori?  
 O mentita fidem spes, ò non vera voluptas,  
 O vitians tristi gaudia felle dolor.  
 Usq, adeò prius, optatam quàm tangat arenam,  
 Mergitur infida naufraga puppis aqua:  
 In medio obruiturq, vado fors lata piorum,  
 Ne portus subeat brachia tuta sui?  
 Jam modò gaudebas patre post duo lustra recepto,  
 Carcere damnarat quem tua, Christe, fides;  
 Egregiaq, parens nati pietate beatus,  
 Spondebat canis mollia fata suis;  
 Et nuper tedas, te conciliante, pararat,  
 Et socia felix matre maritus erat;  
 Exhilarabat avum proles numerosa nepotum,  
 Ante senis ludens turba novella pedes;  
 Et nato pater exultans, patre natus ovabat,  
 Omnia letitia plena fauentis erant:  
 Cùm, plane nullo turbentur gaudia luctu,  
 Exequias poscit filia, lucis egens.

EPICEDIA.

Tantum cara suo, quantum non altera, patri,  
 Sed magis unanimes cara marita viro;  
 Germanaque comes, iacturaque summa parentis,  
 Incestas obitu gaudia, nate, tuo.  
 Tu bona tu moriens frangis tot leta tuorum,  
 Tecum spes misero fugit adempta patri,  
 Omnia morte tua perimis solatia mæsto,  
 Quæ tuus in vita nuper alebat amor.  
 Occidis exemplum iuuenis memorabile morum,  
 Maximus ingenio, nec pietate minor.  
 Occidis, & non dum septem tibi lustra rotarat,  
 Fatali voluens stamina, Morta, colo.  
 Quid tibi nunc auro prodest sine tæbe peracto  
 Haud unquam patrios erubuisse focos?  
 Quid rara meruisse fide, ne prisca vetustas  
 Laude parentiferi secula nostra premat?  
 Adde tot ingenij dotes, artisque medendi  
 Eximium, Phœbo non reuente, decus,  
 Et plenis non dum pectus maturius annis,  
 Et comi frontem tetricitate grauem.  
 Omnia quæ tumulo non euitabilis hora  
 Intulit, & terra frigida membra dedit.  
 Heu vita mensura breuis, nec amica senectus  
 Ingenio, forma nec diuturnus honor.

Jam



EPICEDIA.

Iam recolo ingenua positum tibi tempus in arte,  
 Hic, ubi Tyrigeta defluus amnis agro  
 Hinc sacros Baccho colles, Phœbo alluit illinc  
 Mauricij auspicijs templa dicata Ducis.  
 Quàm studij meminisse tui iuuat, atq; laborum  
 Scandentis bifidum, me præeunte, iugum.  
 Nitentisq; locum saltu superare priorem,  
 Primus ut ire viam nobilis ardet equus.  
 Viderat hæc olim diuinus signa Philippus,  
 Teutonia lumen, summus & orbis honor;  
 Eloquijq; parens Latij pariterq; Pelasgi,  
 Francia quo maius non tulit ora decus,  
 Indolis admirator erat Camerarius acris,  
 Aëuo surgentis promptius atq; suo.  
 Sed breuis est summis ætas, & messis in herba  
 Præcoci ingenij frugibus esse solet.  
 Hinc igitur, mœstas augetem fletibus undas,  
 Arctœ regem conspicio Albin aquæ:  
 Immatura sui dum funera deflet alumni,  
 Fronde cui Sophia cinxerat antè caput.  
 Hinc pariter Nicro lacrumarum flumine flumen  
 Flumen inundanti crescere cerno nouum:  
 Peonia iuuenem titulis qui ornauerat artis,  
 Et nunc, arte sua succubuisse, dolet.

Luget

EPICEDIA.

Luget idem manans Sudetum gurgite Suevus,  
 Dum muto tumulum præterit amne tuum.  
 Sæpe gemens nil auctorem iuuisse salubrem,  
 Quam sensit leto deditus ager, opem.  
 Scuit in humanis fati quæ tanta potestas,  
 Quæne bonis adeo vis inimica venit?  
 Ille tot aduersis rerum immersabilis undis,  
 Tot conflictatus casibus, arte Fabri,  
 (Dum solidis clausi tectis ferroq; tot annos,  
 Quot Phario Isacides carcere vinctus erat,  
 Explorare fidem placuit roburq; tonanti,  
 Igne metalla velut septima flamma probat)  
 An non iratas minus immitesq; sorores,  
 Fatorum dominas, dignus habere fuit?  
 Nec flerive suis, aut vllum flere suorum,  
 Immunis luctus, atq; doloris inops?  
 Nempe per hos etiam regnat mors inuida mores,  
 Iniustoq; bonos iure maligna premit.  
 Ah miserande parens, quantum tua pectora, caro  
 Hoc tibi prærepto pignore, vulnus habent?  
 Heu maius: nosco natura iura potentis:  
 Quam quod longa queat consolidare dies.  
 En iacet ille tua baculus columenq; senecta,  
 Quo sustentandus, viribus ager, eras.

Occidit

EPICEDIA.

Occidit antè, tuo quàm necere brachia collo,  
 Quàm vale supremum dicere posset, obit.  
 Infelix genitor, quid curru insistis anhelò?  
 Anteuolat cursum Parca volucris equi.  
 Ille tamen tali haud oblitus tempore natum,  
 Dulce sibi, aiebat, te superante, mori.  
 Querebatq; tuos morienti lumine vultus,  
 Nec fracto deerat nomen in ore tuum.  
 Infelix genitor, quanti tibi muneris instar,  
 Accelerantis erat non mora longa necis:  
 Ut mandata daret moriturus summa dolenti,  
 Quæ meminisse tibi dulce piumq; foret;  
 Efflaretq; tuo supremum anima halitum in ore,  
 Inq; tuo vultus clauderet ore suos.  
 Vota valere iube, nec tempora perde precando,  
 Abnuil optatis de tribus una soror.  
 Abnuil illa soror, quam de consortibus unam,  
 Supplice placari numina voce negant.  
 Sit satis ingrato comitari funus honore,  
 Sit tumulo lacrimas iustaq; ferre satis.  
 Cumq; tuis fletus miscentum cernere turbam;  
 Testantum luctu publica damna suo.  
 Omnis adest etas, passim plangentia iungunt  
 Agmina, vir, iuuenis, cum puerisq; senes.  
 C Omnibus

EPICEDIA.

Omnibus vnus amor flendi natumq; patremq;  
 In nato patrem quod perijsse putant.  
 En age pullata solennia respice pompa:  
 Quae pheretro subeunt, sedula colla vide.  
 Psallentumq; choros, iterantumq; ore querellas,  
 Tristia flebilibus verba ululata modis.  
 „Sunt mœrenti aliquid socij consortia luctus,  
 „ Arctius ille dolet, qui sine teste dolet.  
 Hac gemitus, Peucere, tuos, hac vulnera sedent,  
 Etmersum curis atq; dolore leuent.  
 Hac cineri satis: hinc luctu quassare senectam  
 Parce tuam: manes ledere parce pios.  
 Ipse tibi superas redeat si natus in auras,  
 Laudarit nimia num pietatis opus?  
 Quid profunt lacrumæ? quarum si commodet usus,  
 Lugenti fieret si minor inde dolor:  
 Par erat his fuluum contra mutare metallum,  
 Et gemmas, rubri quas uehit onda maris:  
 Par erat his indulgendo saturare dolorem,  
 Tabificaq; malum corde fugare luis.  
 Sed neq; plus releuant illarum flumina mœstos,  
 Nec magis exonerant pectora nube graui,  
 Quàm planctum infernas rescindit præfixæ leges,  
 Quas semel intrarunt funera, iure necis.

Debe-

EPICEDIA.

Debemur morti quicquid mortale creamur: cc  
 Hæc rapit interitu bruta virosq; pari. cc  
 Hæc humiles clarosq; metit discrimine nullo, cc  
 Teq; Polita, tuo cum genitore necat. cc  
 Hæc tomentum simul, simul hæc bombycina miscet, cc  
 Atq; una Morychum lintre Thalenq; vehit. cc  
 Parua loquor: solida non vis adamantina terre, cc  
 Non huius cælum conditione vacat. cc  
 Nam quid defectus Solis, Lunaq; labores, cc  
 Casurum mundi nonne fatentur opus? cc  
 Quid? quæ vanescunt medio pallentia cælo? cc  
 Quid? quæ sub terras sidera lapsa cadunt? cc  
 Quid vana ergo iuvat tumultum pulsare querella, cc  
 Parce hostes lacrumis exhilarare tuis. cc  
 Viderit has duro proles Volcania vultu, cc  
 Ac Christi famulos turba perosa patrum: cc  
 Totis, crede mihi, gaudebit læta medullis, cc  
 Et pascet luctu pectora dira tuo; cc  
 Ante alios & criminibus secundior unus, cc  
 Nec socijs concors Vescopus iste tripes. cc  
 In te Cerberei qui spumas euomit oris, cc  
 Haud tibi quam socero mitior usq; tuo. cc

C 2

O passus

EPICEDIA.

O passus grauiora, graui ne cede dolori:  
 Quid Christi deceat martyra, mente refer.  
 Pectoris infracti nunc illas exere vires,  
 Nunc animi robur nobile prome tui,  
 Quo longi intrepidus spreuisti carceris umbras,  
 Et cum pollicitis aspera dicta minas.  
 Hoc tuus ille velit fulgenti sede receptus,  
 Alloquio fruitur qui propiore Dei.  
 Omnibus ereptus curis, vitæq; periculis,  
 Quæ cumulat peior proxima quæq; dies.  
 Et sancto sociatus auo, matriq; beata,  
 Vno tergeminum numen honore colit,  
 Inter cœlicolas Christo Paana canentes,  
 Islebicum iuxta Francigenamq; senem.  
 Fallor? an inuidia fuerit recordia, flentem  
 His fortunato, soluere iusta, bonis?  
 Qui puro terra sordes mutauit Olympo,  
 Exiit & mortis vincula morte pia.  
 Artis quem meritis, pietatis laude perenni,  
 Vientum passim fama per ora vehit.  
 Hæc est vita viri, quam mortis nescia virtus,  
 Maius ab exequijs ingeniumq; parit.  
 Hæc tibi funestum releuent, Peucere, dolorem,  
 An tantum deceant facta minorum virum?

Gregorius Berstmanus in acerbo officio  
 mœrens F.

EPICEDIA.

AD CL. V. DN. IOANNEM STURMIVM,  
 præceptorem & amicum suum honorandum, in obitu  
 tum D. Casparis Peuceri, Casp. F. Philip. Me-  
 lanchth. N. medici celeberrimi.

**D**um te, sancte senex, securo villa recessu,  
 Grata domus Suada Castalidūq, tenet;  
 Postq, tot exhaustos per lustra nouena labo-  
 Fabri non patitur turba quiete frui; (res,  
 Quam tamen, hebdomadas Romæ per mille docenti,  
 Donasti Fabio, Vespasiane, tuo:  
 Errantes Rhodanus nos vidit & Arela: fouit  
 Infido hospitio Sequana, Dubis, Arar.  
 Et Ladus tumido nos gurgite, & Isara vexit,  
 Legimus & fines, Hesperis ora, tuos.  
 Inde reuertenti fecundum munus Amoris  
 Obtulit, inuidia toruà tuente, Venus.  
 Atq, mei iussit, leges Astræa docentem,  
 Semper Cuiacij stamina recta sequi:  
 Diuitias licet exiguo sibi querat inanes  
 Tempore, quæ latrat Rixa canina foro;  
 Barbara Romani latitans sub imagine Iuris,  
 Glossarumq, putri cocta recocta lacu.  
 Non gemmis, veri & Phæbi torquemur amantes:  
 Fama iuuat, positos effugit illa rogos.

C 3 Auri

EPICEDIA.

Aurei sacra fames, tu millia multa Midarum  
 Sapius aeternum mittis in exilium.  
 Aurea namq<sup>3</sup>, etas redijt, qua fata nepotum  
 Optat avus, generi captat opesq<sup>2</sup>, socer.  
 Utq<sup>3</sup> igitur primum Alsatico digressus ab Ell<sup>o</sup>,  
 Te, Sturm<sup>i</sup>, careo; septima currit hyems.  
 Ex quo nulla tui cepit me obliuio, inhaerent  
 Semper adhuc animo tot benefacta meo.  
 Quin etiam ingenuos de te sermo inter amicos  
 Assidue, qui tam nobile nomen amant:  
 In quibus Ambigus, liuor licet audiat, acer  
 Persona vindex, maxime Chryste, tua:  
 Eloquijsq<sup>2</sup>, tui mirator & amulus artis,  
 Cui cognomentum Percaq<sup>2</sup>, virq<sup>2</sup>, dedit:  
 Praecipueq<sup>2</sup>, tibi doctrina, ut proximus auro,  
 Caspar, germani gloria rara soli:  
 Quem vinculis nobis & mente & corpore sanum  
 Restituit, cuius caussa ea sola fuit.  
 Verum hominum tenui scis pendere omnia filo:  
 Mors est certa, breuis semita, vita nihil.  
 Vix nata funus Peuceri eluximus, eheu  
 Nondum etiam nostri fata suprema DVCCIS:  
 Ecce recens Medico, defuncto in flore iuuenta,  
 Peucero, tumultum maesta Budissa parat.

Sic



EPICEDIA.

Sic florens rosanata die viget & cadit uno:  
 Sic mala ante diem marcida saepe fluunt.  
 Lux post sextileis nonas iam venerat actas  
 Sexta, ubi Parca viro rupit acerba colum.  
 Occidis o fidei exemplum, spesq; una tuorum,  
 O pietatis honos, presidiumq; patris?  
 Lumina qui texit tua turbato ordine, quem tu  
 Debueras manibus contumulare tuis.  
 Hunc tamen hunc claustris duo per quinquennia &  
 Inclusum, pietas non tua deseruit. (Oltra  
 Sic mammis aluit matrem olim nata, patremq;  
 Emit ita & patri compede busta Cimon.  
 Salve, sancte cinis, cali novus incola: ad urnam  
 Dulce tibi querulo Daulias ore canat.  
 Candida avis, pascensq; graves atate parentes,  
 Cassita & tumulans, ante sepulcra volent.  
 O, ego quod vellem, tandem regionibus illis  
 Inferres, miseros nos miserate, Deus;  
 Quae sunt expertes luctus, ubi nulla manebunt  
 Lamenta: at semper gaudia, vota, preces.  
 Inuitet quid enim his tenebris, ut vivere longum  
 Optemus? grauior dum modo quaeq; dies.  
 Atq; hinc Cantabris, Scythico circumdamur illinc  
 Marte, & hyperboreus Sarmata bella mouet.

Adde

EPICEDIA.

Adde per Illyricos Eridis qua poma Dracones  
 Sunt iacta, ò cunctis pernicioſa pijs.  
 Finibus, ò pudor, in patrijs modò oberrat inultus  
 Hostis, Teutonicas depopulatus opes.  
 Vane Liger, quot equos, & fortia pectora & arma,  
 Ab Germana, avidum voluis in Oceanum?  
 Forsitan & pars magna fuit Barbeius in illis,  
 Qui nunc heu diris piscibus eſca natat.  
 Nec varias iuuit linguas didiciſſe, Georgi,  
 Nec Themidi aut Muſis inuigiſſe ſacris.  
 Te ſyncera fides primis mihi iunxit ab annis:  
 Et ſtudium, nobis & fuit una domus.  
 Teſtis es Albi pater, teſtisq; Lemane querenti:  
 Et Pade, Taurinos qua lauis amne nigros.  
 Quãdo ergo Bellona mihi tete abſtulit ipſum,  
 Libo tibi has lacrymas dona ſuprema meas.  
 Munera ad inferias fletu hæc manãtia amico  
 Accipe: & officium ſentiat umbra piũ.  
 O quis pro laribus, pro relligione paratas  
 Heu clades poterit flendo dolere ſatis?  
 Sint quacunq; loco quo quisq; locatus, eundem  
 Obtineat, dũ illum liberet uſq; Deus.  
 Mandata ille quidem ſtatione iubebit abire  
 Quemuis, ſi quando tempora iuſta ferant.  
 Interea

EPICEDIA,

*Interea ducas tranquilla tempora vita,  
Mi Sturmi, Aonidum fama decusq; chori.  
Ingeminentq; Albis nobiscum hic flumina: Sturmi  
Magne, vale, salve: rursus, hanc atq; vale.*

Bartolemaeus Chœericus I. V. D.

ELEGIA

IN OBITVM CLARISSIMI ET DO-  
CTISSIMI VIRI D. CASPARI PEV-  
CERI IUNIORIS, DOCTORIS MEDICI  
in republica Budissinensi, qui ex hac aru-  
mnosa vita in coelestem patriam emi-  
gravit 21 die Augusti Anno

1587. ætatis 35.

SCRIPTA AD  
EXCELLENTIEM PIETATE  
& eruditione virum, D. Casparum Peu-  
cerum seniozem parentem  
mœstum,

A

IOHANNI FRANCO D.



*Heu quàm varijs est vita referta periclis,  
Quàm subito miseros mors inopina rapit.*

D

Est

## EPICEDIA.

Est homo ceu medias vehitur qui nauta per undas,  
Cui propè tam mors est, quam prope cernit aquam.  
Aspicit immensum supra caput undiq; cælum,  
Et mare sub pedibus conspicit esse suis.  
Attamen ille miser medijs in fluctibus errans,  
Vix timet undisoni damna propinqua freti.  
Donec enim ventis implentur vela secundis,  
Gaudet, & est fati nescius ille sui.  
At Boreas cum bella gerit surgentibus undis,  
Deprimit & miseram multa procellaratem:  
Tunc, qui latus erat tranquillo navita Ponto,  
Mergitur, & nullo subueniente perit.  
Sic genus innumeris quatitur mortale procellis,  
Sic vita est multis obruta nostra malis.  
Multiplices quoniam generantur corpore morbi,  
Et nostri interitus sunt propè mille via.  
Sape quis incautus transfigit viscera ferro,  
Nunc aliquis duri militis ense perit.  
Hic cadit ex alto fundens cum sanguine vitam,  
Et miser in plana corruit alter humo.  
Jam sanus placida tradit sua membra quieti,  
Sed nequit è lecto surgere manè suo.  
Ille colens doctas ardenti pectore Musas,  
In media mortem luce repente subit.

Singula

EPICEDIA.

Singula quid referam, res est manifesta, perimus

Ut rosa, quæ venti turbine mota cadit.

Vidi equidem nasci Phœbo ex oriente puellum,

Atq; die rursus deficiente mori.

Est hæc vita fugax, nec longo tempore durat,

Sed citò currentis fluminis instar abit.

Aufugit ut ventus, vestigia nulla relinquens,

Solvitur & veluti sole tepente nives.

Quid mortalis homo, qui pulvis & umbra, superbis?

Bulla quid in terris mox peritura tumes?

Qui speras hodie longævam ducere vitam,

En teget elatum cras tibi terra caput.

Scilicet incertis adrepat Parca diebus,

Quo minimè credis tempore, morte cadis.

Opprimit innumeros tacitis malefida sagittis,

Nunciat & certam qualibet hora necem.

Attamen incauti nostros traducimus annos,

Postremum longè credimus esse diem.

Interea mors certa venit, iuvenesq; senesq;

Interimens iaculis imperiosa suis.

Hæc neq; diuitias, nec magnos curat honores,

Nec mors à medicis abstinet atra manus.

Vidimus hoc, quoniam viridi iam concidit ævo

Peucerus, patrij gloria spesq; soli.

EPICEDIA.

Vir bonus, & medicus, quo vix præstantior alter  
 Arte, vel ingenio, vel pietate fuit.  
 Hunc virtus, probitas, & amico pectore candor  
 Acceptum doctis fecit ubiq; viris.  
 Mens fuit absq; dolo, caruit pia lingua veneno,  
 (O virtus paucis invenienda locis)  
 Quos potuit medica releuavit sedulus arte,  
 Officio nunquam defuit ille suo.  
 Sed nihil hac curat mors improba, sustulit ergo  
 Ingenio magnum consilioq; virum.  
 Quis non miretur mundi mirabile fatum?  
 Quæ bona sunt pereunt, deteriora manent.  
 Illa diu durant quæ non adhibentur in vsum,  
 Vita ergò insulsis longior esse solet.  
 Quid loquor? annè omnes sumus hac cum lege creati,  
 Finit ut vitæ tempora Parca breui?  
 Fortiter idcirco tristissima fata feramus,  
 Quæ medicum nobis eripuere pium.  
 Venit enim tempus, fuit & diuina voluntas,  
 Linqueret ut tristem morte solutus humum.  
 Tristia ne videat venturi tempora belli,  
 Et mala, quæ nobis fata seuera parant.  
 Supprime propterea magnos Peucere dolores,  
 Atq; tibi placeant quæ placuere DEO.

Diffi-

EPICEDIA.

Difficile est, fateor, per acerbum vincere luctum,  
Flere iubet nati morte paternus amor.  
Sed te, quem varijs iactarunt fata procellis,  
Casibus aduersis arte natare decet.  
Sit modus in lacrymis, nec enim reuocabilis ille est,  
Quem semel è vita mors inimica tulit.  
Nam tibi non perijt natus, sed corpore dormit,  
Spiritus eterno perfruiturq; bono.  
Ne pudeat vixisse, DEVS nos queso gubernas,  
Nec graue sit nobis, cum venit hora, mori.

AD D. IACOBVM MONAVVM, S.  
affinem obseruandum,



Lare vir, & claro successu digne, Monave,  
Inter & Aonium pars numeranda cho-  
rum.

Qui me Peuceri nostri communis amici  
(Quem praeceptoris dignor honore pij)  
Fortunam variam voluisti scire per annos  
Hos aliquot, sciri debuit unde Deus.  
Nunc immaturo dilectum funere gnatum  
Sublatum è uinis illius esse doces.  
Sim lapis, affligit nisi me dolor iste paternus,  
Ni miseret sancti sollicitiq; senis.

D 3

Nec

EPICEDIA.

Nec dubium est, quin sit iustissima causa doloris,  
 Si nati mater es ingeniumque vides.  
 Jam bene de patria didicit, didicitque mereri  
 De patre, cui penoris diuitis instar erat.  
 Tunc ubi cum fato colluctaretur acerbo,  
 Fidorumque pater tristis egeret ope.  
 Ergo senectutis baculum pater inde vocabat,  
 Huius quod potuit saepe probare fidem.  
 Adde, quod hunc habuit diuinus ab arte nepotem  
 Inter delicias ipse Philippus auus.  
 Forsitan in puero pietatis signa futura,  
 Et generi vidit damna propinqua sui.  
 Quicquid id est, iam tu maestum solere parentem,  
 Desinat ut nimium flere, dolere, queri.  
 Sit licet infracto casus sapienter ad omnes  
 Pectore, nec sortis ferre recuset onus:  
 Si tamen horteris, poterit, tua dicta sequendo,  
 Maerori melius constituisse modum.  
 Vincet & has citius lacrymas, qui cetera vicit,  
 Et mala forti animo, ceu tulit antè, feret.  
 Tu, quacumque virum potes arte monere, moneto:  
 Et saluere meo nomine quaeso iube.

Ioh. Meisner,

IN



EPICEDIA.

IN TVMVLVM

CLARISSIMI PHILOSOPHIAE AC  
MEDICINAE DOCTORIS, DN. CASPA-

RIS PEVCERI FILII, PHYSICI AC

medici Budis. ordinarij P. M. qui obiit XXI. die Au-

gusti secundum Calendarium Gregorianum,

circiter horam VII. matut. Anno ætatis

XXXV. Climacterico.

M. D. LXXXVII.

**S** Iste parū gressus. Iacet hac Peucerus in urna,  
Paonia magnum qui decus artis erat.

Summo natus avo, quem vesper nouit et ortus,

Cui non vlla ferent secla futura parem.

At patre, nostra suis effert quem laudibus atas,

Non arte insignem quàm pietate magis:

Seraq; posteritas longum memorabit in æuum,

In tanti laudes officiosa viri.

Ipse quidem viuit, viuatq; , & Nestora vincat,

Quant a sed ab mœstis causa datur lacrymis.

Ah venerande senex, iacet hic tua summa voluptas,

Hæc iacet extincta gloria spesq; domus.

Nil potuit Phœbus, nil etas, ò dolor, ò mors,

Quàm nostris obstas inuidiosa bonis?

Omne adeò primum, si quid videt utile terris,

Mors rapit, & tristes mittit ad inferias.

Vi ta-

EPICEDIA.

Vt tamen occulti vis intestina doloris  
 Viscera, & exesum carperet igne iecur.  
 Hei mea me, dixit, virtus mea me enecat, & qua  
 Febris inextincta torquet anhelata siti.  
 At tu magne veni, & rapidos, quibus urimur, aestus  
 Christe leua. arbitrijs stet tamen omne tuis.  
 Nec mortem metuo timidus, nec degener opto,  
 Mors, pie Christe, mihi praestat utrunq; tua.  
 Sive velis viuam, moriar si eademq; voluntas,  
 Non contra fatum me decet ire Dei.  
 Vna sed est cursus posset qua inhibere beatos,  
 (O lacryma) nostris addita causa malis.  
 Tu facis ab miseranda uxor, mea cura, meum cor,  
 Quaeq; à te lecti pignora terna tuli.  
 Hac tibi commendo, meq; o dulcissime rerum  
 Christe, pius miseris qui pater esse soles.  
 Te cupio, te suspiro tibi cuncta relinquo,  
 Fortiter in te equidem spes mea nixa cubat.  
 Dumq; petit requiem, moestos affatus amicos,  
 Vt se quisq; domum sub sua tecta ferat.  
 Languida se paulum positurum membra quieti,  
 Lumina si possit victa subire sopor.  
 Ecce petit requiem, victos sopor intrat ocellos,  
 Verbaq; supremo diriguere sono.

Ergo

Ergo iaces PEVCERE, nec expectata parentis  
Extrema licuit conspicerere ora die.

Cum tibi vix septem decurreret orbita lustris,  
Hei subito nimium mors violenta gradu.

Hoc satis est. hinc te qui sis cognosce, pieq;  
Disce mori, & dicta pace viator abi.

Tempus obitus significatur.

Sextillis VICena poLo Conscendit & Vna,  
PeyCereah Lethl VI sVperante CaDis.

Job. Agricola Junior F.



E

CAR.



CARMINA EPITAPHIA.

D. O. M. S.

**D** Euceros habuit nuper Germania binos,  
Vnum, patrem: natum, alterum.  
Dignum isto patrem nato, natumq; parente:  
Virumq; patria decus.  
Quorum servatum nobis diuinitus illum,  
Amant boni, timent mali.  
Hunc verò nimium properata morte peremptum,  
Cum patre nunc lugent boni.  
At tu, Peuceris quàm dura hæc fata duobus  
Erui vetant, Germania,  
Si sapias, hunc serva: quo salvo semper Labedis  
Quod orbis inuideat tibi.

OPT. ET DOCTISS. VIRI CASPARIS  
Peuceri memoriæ Clariss. Viri Casparis Peuceri F. ma-  
gni illius Philippi Melanchthonis, N. The-  
odorus Beza. M. P.

CASPARI PEUCERO, CL. ET OPT,  
p. tris, Opt. Filio; medico, V. ornatiss.

**D** Euceridem qui te primis dileximus annis,  
Quem veneraremur, vidimus esse virum,  
Quem patris in laudes evexerat amula vir-  
tus,  
Ut fieres meritis, clarus honore, tuis.

Jam

EPITAPHIA.

Jam patria medica, populisq̄, salutifer arte,  
 Ciuibus, externis, carus & amplius eras,  
 Scribendoq̄, bonus, Polyhistor ab arte magistra,  
 Docte Palastina gentis in historia.

Te pietas, virtus, probitas, doctrina, fidesq̄,  
 Indecorem domui non sinet esse tuae.

Docta q̄, posteritas ex te sua commoda discet,  
 Te q̄, decus proprium promeruisse leget.

Sic tumulo tua stella micat, rosa mittit odores,  
 In tumuli manes officiosa tuos.

Esr. Rud. Exul. necessarij sui memo-  
 ria dicabat.

D E O

CVIVS MORTVI VIVVNT

S. A. C. R.

**D**octrina & vera quondam pietatis imago,  
 Peucerus hic Caspar iacet.  
 Peuceri soboles, ipsi quem laudibus hostes  
 Rara efferunt constantia.

Diuiniq̄, nepos spesq̄, olim summa Philippi,  
 Magni nepos Melanchthonis:

Magnus & ipse suis virtutibus: hoc tamen uno  
 Maior patre & maioribus;

E 2

Quod

EPITAPHIA.

*Quod per bisenos vinctum dum subleuat annos,*

*Præpostero patrem ordine?*

*Quaq̄, dari sibi debebant, alimenta ministrat,*

*Factus pater patri est suo.*

*Felicem, cui dat pietas post funera nomen,*

*Quod non dedit Natiuitas.*

*At tu, qui legis hæc, mirans dic: molliter ossa*

*GRATI quiescant FILII.*

CASPARO PEVCERO M. D. F. AMICO, DVM

vita Deusq̄; sinebant, longè carissimo: vt mortuum etiam abs

se amari probaret, &, quod de renouanda in alio seculo

amicitia spem habeat certissimam, ostende-

ret, H. M. P.

*Ia. Monauu.*

EPIGRAMMA EPICEDIVM, SCRIP-

PTVM GASPARI GASPARIS F. PEV-

CERO, FILIO ANTE PATREM, IV-

ueni ante senem, piè demortuo.

**H**oc quoq̄, natura bene vix permiserit ordo:  
*Vt morti occumbat Filius ante patrem.*

*Sed vos, heu nimium crudelia numina, Parcas*

*Nullius addictas legibus ire iuuat.*

*Ergo*

EPITAPHIA.

Ergo pater gnato, senio & subit ipsa iuventus:  
Fitq; pater iuuenis, Natus at ipse senex.

EPITAPHIVM.

CLaro patre satus, clarus quoq; Natus & ipse,  
Et medico medicus, nomen habens & idem,  
Caspars iacet hic Peucerum stirpe celebris:  
Quem patria incolumem vidit, & hic tumulat.  
Terra tegit corpus, sed spiritus incolit astra:  
Que duo sunt summo mox socianda die.

P. M. D.

DOMINO IACOBO MONAVIO V. C.  
affini & fratri honorando & carissimo.

S. P.




Vos dolor, hesternaq; Monavi, insomnia  
noctis,  
E vena expressit paupere versiculos:  
Mitto: sed irato lectos fac pollice carpas;  
Aut limam, ut placeant, si placet, adde tuam.

E 3

IN

EPITAPHIA,  
IN OBITVM IMMATVRVM D. GASPA:  
ris Peuceri F. viri Clarissimi amici summi &c.

 *Vi vincētus, natura ipsa mirante, tot annos  
Vixit superstes liberis.*

*Immò, qui per tot vitæ discrimina vixit  
Ipsis superstes hostibus:*


*En liber, natura ipsa mœrente, sepulcrum  
Caro parat iam filio.*

*Scilicet amissum ut senij fulcrum hinc quoq; discat  
Christi petendum à sanguine.*

Nicol. Rhedinger à Strisa amoris & doloris  
testandi causa F.

D. M. S.

CL. V. DOMINO CASPARI PEV-  
cero. Casparis viri summi F. Medico &  
Philosopho excellentissimo &c.

 *Vi patre PEVCERO, magnoq; Me-  
lanchthone natus,*

*Et patris & magni sanguine dignus  
Aui:*

*Hic iacet. ô fatum lacrymabile, patria ciuem,  
Nupta virum; sobolem flet pater; ista patrem.*

*Nec*



EPITAPHIA.

*Nec sanè immeritò. Sed quid lugemus ademptum?  
Talem optet mortem cum sibi quisq; dari.*

Authore eodem.

*A L I V D.*

AD EXIMIVM VIRVM DN. D. CA,  
SPARIVM PEVCERVVM ETC. FORTITER

ac piè lugentem carissimi, sibiq; cognominis Ilij obi-  
tum, viri ac Medici præstan-  
tissimi.

**A***cer Anaxagoras, audito funere nati,  
Siccis ista dedit verba animosa genis:  
Nil insperatum, nil quod non pluribus antè  
Contigerit, parili sorte premente, refers.  
Hunc ego namq; meo prognatum semine nòram,  
Nòram & vim propera posse subire necis.  
Discipulus mores servans & iura Pericles  
Doctòris, pariter funera bina tulit.  
Non valère illi tot tristia fata suorum  
AEmula nubifragis frangere verba sonis.  
Ergo illi accitus natura & legibus olim  
Solius Sophia sic didicère loqui:*

*Peu-*

E P I T A P H I A.

Peucerus verò, monitis & voce I E H O V A E,  
 Edoctus, nati funera ferre neget?  
 Non negat: Esse aliud placitis pugnare I E H O V A E,  
 Natura esse aliud solvere iusta, tenet.  
 Illi gloriolam captantes tristia celant  
 Vulnera, cum fremitu quæ tamen intus alunt.  
 Sed iuvat hunc patrium pectus nudare dolendo:  
 Numinis interea iussa verenda probat.  
 Natura atq; Dijs illi pugnare videntur:  
 Hic sed natura & debita ferre D E O.  
 Fallor, an hic igitur longè fert fortius istis,  
 Quæ D E V S & sortes perpetienda ferunt?  
 Vince animo, Peucere, graui quoq; fortiter ista,  
 Pectore vicisti qui grauiora graui.  
 Viuit adhuc, quem tu luges, per clara virorum  
 Ora volans, Pietas, Ars, bona Fama vigent.

Iohannes Theupoltus. M. Hil-  
 perhusanus. F.

DE PEVCERO FILIO DEFVNCTO

Ad Peucerum parentem rediniuum.



Vm, Peucere, fores detentus carcere cæco,  
 In mundo viuus, funeris instar eras.

Vive.

EPITAPHIA,

Vivebas tamen in Nato vivente, per orbem  
Qui clarum medica nomen ab arte tulit.  
Sed nunc horrendas duri post carceris umbras,  
Ceu de morte iterum cum rediivius ades:  
Ecce suum ponit proles caput optima letho,  
Cuius tu fueras nuper imago pater.  
Per quem vivebas velut antea mortuus ergo,  
Per te nunc verè mortuus extat adhuc.

Mortuus extat adhuc per te, qui laudis honore,  
Et fama replet solis utramq; domum.  
Sed nec tu moriere unquam, nec mortuus ille est.

NE SCIT ENIM VIRTUS, GLO-  
(RIA FAMA MORI.

Ioach. Smidius Gorl.

ALIVD.

L Eucoris exilium patri, qua patria nati:  
Nato, qua patri patria, dat tumultum.  
Res grauis exilium: grauior vis ferrea mortis,  
Vtraq; sed sunt prospiciente DEO.  
Norat id ergo patris mala speq; fideq; leuauit,  
Antè sui gnatus, qui modo tectus humo.  
Novit & id genitor, dilecti funera Nati  
Hinc (sat acerba licet) speq; fideq; leuat.

F

Ac

EPITAPHIA.

Ac capit aula poli, quos non vult nec capit orbis,  
Exulibus cœlum est patria Christicolis.  
Et mors sanctorum cœlestis ianua vitæ est,  
Terminus antiquæ, principiumq; novæ.  
Ergo absint lacrymæ; decoretur carmine saxum,  
Ne careat iusto tantus honore rogas.

Hoc iacet in tumulo clarissimus arte medendi  
Doctor, & ingenio iudicioq; potens.  
Ille Melanchthonij materno sanguinis ortu  
Flos Peuceeriades, patris auiq; decus.  
Qui patrij veluti fuerat cognominis heres,  
Sic iter ingressus par quoq; laudis erat.  
Invidere solo decus hoc gens invida Parca,  
Ad superos traxit relligiosus amor.

Sebastianus Hoffman Gorlicensis.

ALIVD.

O quam læta fuit lux, qua cum patre Melanchthō  
Læticia nato, signa, nepote dedit.  
Sed quam læta fuit lux illa Melanchthone viuo,  
Cui par non toto spirat in orbe caput:  
Tam nox mœsta patri est, qua natum funere mersit,  
Lætior at lux est qua super astra capit.

Lux

EPITAPHIA.

*Lux, qua cum diuis fruitur, raptumq; Nepotem  
E tenebris, secum vivere gaudet auus.*

N. Steinberger.

IN PEUCEROS PATREM ET F. VL  
ros eximios & clariss.

**N**Ec soles mundus geminos tolerauerit unus,  
Peuceros tellus nec ferat una duos.

Carceris ergo parens tenebrosis abditur umbris,  
Ingenij clarum prole vibrante iubar.

At postquam genitor latebris caput extulit atris,  
Damnatur tenebris filius ecce necis.

O, votis aduersa pijs, vis inuida fati,  
Quod longo summis tempore stare negat.

Gregorius Bersmanus Annæbergensis.



Zd 2376  
EPIGRAMATA  
LXX. quae cum dicitur fuerint, admodum  
E. tenentur, secum tenere gaudent.

M. Steinbecker  
IN PECCATOS PATREM ET FILIUM  
TO. eximios & claris.

Nec solis mundus geminos toleravit cum  
Peccatos tellus nec ferat una duos.  
Carent ergo patris tenebris adhaerere  
Fugit clarum prole vibrantis imber.  
At postquam genitor latet caput extulit atque  
Damastrum tenebris hinc ecce nocet.  
O, votis adversa pisa, non tunc  
Quod longo summis tempore factis negat.  
Gregorius Berlinus A. 1718



ULB Halle  
004 976 959

3









B.I.G.

Farbkarte #13

*Don. d. n. 254, 27.*

Memoriae

Z d  
2376

V. CLARISS. PIETA-  
TE SINGVLARI, INGENIO ADMI-  
rabili, doctrina erudita, moribusq; suavis. praediti, Dn. Cas-  
paris philosoph. & medic. Doctoris celeberr. V. eximij & sin-  
gularis exempli D. Casparis F. Peuceri, magni  
illius Melanchthonis N. Medici Physici  
reipub. Budifs.

QVEM IN PIA ET ARDENTI INVOCATIONE  
Filij Dei placidiss. sopitum, ex oculis, non animis homi-  
num, mors eripuit immatura anno aetatis suae XXXV.  
orb. reparati M. D. XIII. A. D. III.  
Id. Sextileis,

MONVMENTA CVM SVAE ERGA B. M.  
pietatis, tum erga Patr. moerentem praclarae affectionis testi-  
ficandae gratia posita, nuncupatione epicediorum &  
carminum epitaphiorum,



SERVESTAE  
Excudebat Bonaventura Faber,  
Anno cl. Is. X IIC.

*D. Donori Inyconsultho Boyp  
in s. w. i*